

Tentamen sistens
J. FIELLSTRÖM

**TENTAMEN ACAD. SISTENS
MEDICINAM LAPPONUM
LOND. GOTH. 1734**

B

IV

31

22544/P

B. 14-31

TENTAMEN ACADEMICUM

Sistens

MEDICINAM
LAPPONUM,

Quod

Cum Consensu Ampliss. Facult. Medicæ
in Alma Gothorum Carolina

PRÆSIDE

VIRO Ampliss. atque Experientissimo

D: no GUST: HARMENS

*Med. Doct. Med. nec non Philosophie
Experiment. Prof. Extraord.*

Publico bonorum Examini
Submittit

Johan. Fiellström

Westerborkniensis

Ad diem 22 Aprilis Anni MDCCXXXIV.



LONDINI GOTHORUM
TYPIS LUDOVICI DECREAUX

S:Æ R:Æ M:TIS Sveciæ

ARCHIATRO

Nobilissimo & Experientissimo Domino

D:no **KILLIAN**
STOBÆO

In Acad. Lundensi Professore Historiar.

Longe Celeberrimo

Reg. Societ. Scient. Upsal. Membro

Dignissimo

Præceptori, Tutori ac Promotori

Optimo!



E iis accensar, EVERGETA MAXI-
ME, qui furtive & remotis arbitris, in
angulo, uti ajunt, & ad aurem gratias
agunt; quid mirum? si post tot à TE,
PA-

PATRONE OPTIME, accepta beneficia, ut grati aliquod signum animi exstaret, hanc qualemcunque Dissertationem TUO NOBILISSIMO NOMINI dicare audeam. Cum enim referre gratias nequeam, fas sit tamen publice testari, me TUO favori & insigni benignitati debere, quicquid felicioris sideris post nubila adfulserit. Nam mihi ex ultima Thule huc tandem delato, cum præ nimia paupertatis injuria stomachus sæpe latraret, animus langueret, parumque superesset spei, quin de stadio, quod semel eram ingressus, deturbatus ad miseram turbam invitus remigrarem; TU me rudem & incultum, quem præter tenuem fortunam nihil commendabat, mera TUA gratia excepisti, refocillasti, ornasti, tantaque in me contulisti beneficia, quanta à mortalium nemine speravi, vel sperare potui. Verbo ut dicam: Pater mihi fuisti & Præceptor benignissimus, CUJUS mensâ vita mea, CUJUS manu ductione Musa mea jam per sexennium suffulta, non tantum revixit, sed & spes in posterum meliores præsumsit. Quod publice hic profiteri jam gloriosum mihi duco, qui scio, benignos mearum rerum Censores judicaturos, totam meam, si quæ aliquando fuerit, fortunam ortam esse ex eo, quod TUA, VIR NOBILISSIME, inclyta Eruditione, & Paterna Informatione mihi frui contigerit. Præclaris
itaque

itaque tuis in me meritis quamvis ne recensendis
quidem, nedum exornandis sufficiam; pietatis
tamen & observantiae meae memor, ubicunque gen-
tium fuero, cum veneratione ea praedicare nun-
quam desinam, Praesens vero, EVERGETA MAXI-
ME, chartaceum hoc munusculum; ut levidenses
quasdam grati animi primitias, tam serena fron-
te, quam me ipsum olim excepisti, accipias sub-
nixè rogo, illudque TIBI sacratum finas, donec
aliud comtius TE que magis dignum offerre potue-
ro. Adde hac ratione novum benevolentiae do-
cumentum infinitis aliis: Mihi vero nihil magis
in votis erit, quam ut inter TUOS semper nume-
rer, qui dignitate quidem reliquis STOBÆANI
NOMINIS cultoribus & aestimatoribus facilis ce-
do, veneratione & pietate tamen nemini secun-
dus ero ad cineres usque permansurus

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Devotissimus Cliens
JOHAN FIELLSTRÖM.



Proœmium.



Uemadmodum hoc verum est, omnes in universum homines morbis esse obnoxios, nec ullas dari nationes ab his plane iñunes, licet aliæ plus, aliæ minus, aliæ huic, aliæ vicissim illi morborum generi magis expositæ videantur: sic ex hac inevitabili necessitate, & ex philautia illa naturali, qua ad conservationem vitæ suæ quisque ducitur, omnes semper in id anxii laboraverunt, ut aliquas saltem medendi artes, quamvis non semper adæquatas, invenirent, quibus sanitatem vel tueri vel morbos tollere possent. Huc spectat non modo medicina illa, quæ inter excultioris ingenii homines, à medicis cordatis & rationalibus exercetur quotidie, verum etiam empirica ista medendi ars, quæ intra vulgus, imo quæ intra gentes barbaras minusque excultas usu recepta viget. Hæ enim quamquam Medicis & Medicina, proprie dicta sint destitutæ, consiliis tamen & remediis suis

fuis domesticis sibi invicem succurrere ægrotosque sublevare quacunque ratione conantur. Hujus indolis (si quæ ulla) certe Medicina est Lapponum, cujus adumbrationem in hac qualicunque Dissertatione sistere mihi mens est. Argumentum autem hoc eo arrisit magis, quo majorem ejus occasionem mihi dederint exempla Clarissimorum Medicorum, qui ad locupletandam Historiam medicam sedulis observationibus patefecerunt medendi methodum certis etiam nationibus præ ceteris consuetam, nec non remediorum genera his familiaria, eademque vel noxia vel utilia. Equidem fateri non erubescam, me sumorum medicorum vestigia non posse vel premere vel digne sequi; Interim tamen hos, quantum gigantes pygmæus, æmulaturus; hoc jam suscepi laboris, ut brevissime quidem & pro virili exponam MORBOS MEDICINAMq; LAPPONUM, idq; partim secundum ea, quæ mihi, licet puero, per biennium fere inter ipsos observare licuerit; partim etiam secundum relationes, quas deinde per iteratas sæpe literas ab amicis, & imprimis a fratre Germano (qui ipse jam aliquot annis in Uma Lappmark moratus est) mihi colligere contigit. Benevolum autem Lectorem ut his conatibus, Lineamenta potius, quam completam historiam repræsentantibus faveat, obsecramus. Plura forsitan in futurum, si DEUS vitam facultatesque benigne largitus fuerit, impondemus.

Neminem latere existimamus, situm obtinuisse Lapponiam polo admodum vicinum, unde per se liquet qualis heic cœli temperies, scilicet jam frigidissima, jam iterum calidissima secundum anni vicissitudines. Frigus hybernum prorsus est ingens & acerrimum, nec tolerabile, nisi iis, qui a teneris perferre didicerunt. Unicum adducam exemplum, unde fas sit concludere, quanta ibidem frigoris vis. Observavi nempe hyberno tempore, quomodo arbores imprimis abietes & pini, quæ hic frequentes inveniuntur, vi intensissimi frigoris a radicibus usque ad summa cuneo quasi in duas finderentur partes, quod vehementi cum fragore fieri sæpe solet. Æstivo iterum tempore, quando hi in occidui per aliquot menses fruuntur solis Lumine, Calorem sentiunt non minorem. Aperte hoc testatur Schæfferus (a) præeunte Joh. Tornæo, *Tempore, inquit æstivo, quando sol ingreditur cancrum, ingens exoritur calor, cujus sine dubio causa ex eo est, quia sol nunquam occidit, sed tota nocte lucet clarissime, atque ita nec calor quidem cessare potest, verum durat tempore æque nocturno sicuti diurno.* Huic æstivi caloris excessui merito debetur etiam præcox illa festinatio, qua terra hæc alias gelida factis, brevi admodum suos ad maturitatem perducatur, fructus, gramina atque herbas, quod miraculi instar semper habitum fuit peregrinis (b). Neque silentio prætereundum prorsus existimo, quod plerique, qui hic spirant venti terrestres, sicciore sint, & pro mundi plagæ, annique tempestatibus diversitate nimio aut frigore

A 2

aut.

(a) Confer. Lapon. Illustr. Cap. III. (b) Confer. Billberg. de refract. Sol. in occid. p. 78. Item Schæff. Lapp. Illustr. Cap. III. p. 20.

aut æstu adurant, præter unicum illum, qui ab occasu venit, nebulosum, & quoniam in transitu oceanum lambit continuo, humidior, sed quoque rariorem, nec diu durantem. Hunc ceterum ventum indicare videtur Schefferus (c) dicendo: *Unum genus est, uti testati sunt mihi, qui viderunt, surgens à mari, quod cum spirare incipit, densas crassasque media æstate dieque creat nebulas, quibus longior omnibus prospectus intercipitur. Hyberno autem tempore tantam nivium dejicit vim atque copiam, ut si quem deprehendat in campis, illi non aliud supersit remedium, quam ut projectus in terram, veste se opperiat, obruique sinat nivibus, donec tempestas desiverit.*

§. II.

Aeris hæc temperies, modo frigida, modo sicca & utraque in excessu, non potest non liquidissima expellendo condensare humores, solidasque partes efficere rigidiores, unde Endemicum & quasi universale surget Lapponibus temperamentum ad Melancholicum proxime accedens, hoc etiam ipsis maxime competere dilucide satis ostendunt, tam eorum corporis habitus, quam animi mores. Prius enim quod attinet, sunt Lappones, statura corporis mediocres, ut plurimum vero breves, at non cubitales, ut quidem voluerunt (d), nec membris contortis inconcinni adeo, quemadmodum eos facit Isaac Vossius (e); membra etenim illi omnino habent exacta proportione sibi mutuo accomodata & optime convenientia, unde & summa in ipsis agilitas & pedum velocitas. Habitus corporis admodum est constrictus densus atque siccus, qui manifestam præ se fert macilen-

(c) *Vid. Lapon. Illustr. Cap. III. p. 18.* (d) *Conf. Scheff. Cap. V. p. 28.* (e) *Conf. Scheff. Lapp. Illustr. Cap. V.*

lentiam. Nec mirum hoc quia frigus quod non finit, eos pervenire ad proceritatem aliquam, non potest non, succum etiam naturalem ipsis denegando, reliquam molem minuere. Recte ergo Schefferus! Cap. Cit. *sicuti Lappones sunt breves, sic etiam macilenti, estque res prorsus rara inter ipsos homo obesus.* Color corporis ex lurido subfuscus est; Capillos habent nigros atque spissos, idque præ reliquis septentrionalibus magis commune, testatur & idem de ipsis Joh. Tornæus, dicens, se nunquam vidisse *præter unicum Lapponem capillis flavis.* Pectus habent latum, inque membris vis & robur tantum, quod longe superare videtur ipsius corporis molem. Unde etiam Damianus Goës ipsos appellavit nervosos, quemadmodum & illud añotavit Schefferus eodem Cap. V. *Longe validiores, inquit Petrus Claudii sunt hi, quam homines vulgo alii, quod ex ipsorum colligitur arcubus, quos Norwegus quis vix ad dimidium intendere potest, quod ipsi faciunt:* (f) Addimus & hoc quod hujus gentis corpora aspera & dura non facile alterentur ad injurias aeris, hincque labores quosvis diutius sustinere possunt quam multi alii. Præclare ergo Polybius Lib. 4. *Ita natura comparatum est, ut cæli habitationis consimiles evadamus.*

§. III.

Corpore quamvis satis sint robusti Lappones, fortitudo tamen in ipsis nulla, sed meticulositas & timiditas summa, quod jam pridem de ipsis notarunt varii Autores; Olaus scil. Magnus, Petrus Claudis, Paulus Jovius, quorum te timonia secutus Schefferus hisce usus est verbis: *Gens Lapponum, supra quam quis cre-*

A 3

dat

(f) Conf. Autor in Norweg. Descript. Cap. 27. Item Scheffer Loc. citato

dat, meticulosa est & imbellis. Ex hac meticulositate illud provenit, quod summa in ipsis deprehendatur promittitudo ad suspiciones omnes & occultas machinationes; student quippe declinare malum quod sibi imminere suspicantur cum damno, iterdum etiam cum exitio ejus a quo sibi metuunt. Animo quidem videntur tranquilli, sed si semel ad iram fuerint commoti ad reconciliationem deinde minus sunt proni; imo osorem suum perpetuo prosequuntur odio, cujus notabile exemplum exstat apud Schefferum Cap. V. p. 33. Quod dominante illo Melancholicorum vitio, avaritia laborent, satis eorum pecunias corradendi cupido & desiderium denotat; si ergo dolo aliquem in commerciis circumvenerint, ipsum quoque ultro derident. De falacitate Lapponum praeunte Joh. Tornæo testatur etiam Schefferus, cujus hæc sunt verba; *sunt Lappones ad alia propensi vitia magna, sed peculiari modo ad libidinem: vid. Cap. V. p. 38. & ulterius ex Heberstenio; Lappi ait quamvis sale & pane aliisque gulæ irritamentis careant, multum tamen proni in libidinem esse perhibentur.* Ex omnibus hisce facile apparere existimo, temperamentum eorum præcipue esse Melancholicum; licet negare non velim, idem aliorum temperamentorum miscelatione parentum, educationis, victus & reliquarum circumstantiarum admittere, quæ utique Temperamentum unicuique singulare non minus hic quam alibi efficiunt.

§. IV.

Victus Lapponum quamvis simplicissimus, tamen ejusmodi est, qui optimum dat nutrimentum, atq; multum bonumque generat sanguinem. Utuntur vero ali-

alimentis non aliis, quam quæ ipsum natale solum & proxima ejus vicinia suppeditat, quorumque usus & consuetudo à longo tempore apud ipsos invaluit. Et ut paucis me expediam, communis inter ipsos in victu est usus carniū Urforum, Leporum, Rangiferorum domesticorum & ferorum, nec non Sylvestrium & aquatiliū avium ferarum, Anserum puta, Anatum, Kniparum, Tetraonum, majorum minorumque. (Kiádrar ocá Orrar) Attaginum, Lagopodum (Nypor) & aliorum ejusmodi animalium, quæ æstate simul ac hyeme in tanta hic aluntur copia, ut non solum captura horum vivant ipsi, verum mercatoribus etiam vili satis vendant pretio. Horum animalium carnes recentes, aere vel fumo induratas lixando, interdum assando in usum paratas comedunt Lappones sine pane interdum etiam sine sale. Pari modo ab iis, præsertim à Lapponibus Silvestribus (Sveth. Gran Lappar) qui magis ex venatione & piscatura victitant, pisces consumuntur varii generis; his vero induratis & assatis non (uti vulgo creditur) loco fruuntur panis, sed & obsonii & panis instar. Ex lacte rangiferorum caseos conficiunt, quos in hyemem asservant. Lac vero ultima collectum æstate, miscent cum vacciniis rubris & Chamætaxi baccis, quo facto Massam hanc pulti formem visceribus includunt Rangiferorum, Stomacho puta, vel aliis intestinis crassioribus, sicque frigori congelandum exponunt. Cum hoc deinde juscula sua condiunt hyemem, quo gratiora reddantur. Interdum etiam congelatum hoc absque prævia aliqua solutione comedunt, quemadmodum ipse non semel observavi. Post confectionem Casei ex sero lactis, pulmenta parant, ubi loco farinae, quam ipsi non ha-

habent nec desiderant, sumunt Turiones Pini contusos, vel intimum librum ejusdem arboris, quem aëre exsiccatum ope pistilli lignei in minutissimas contundunt partes; habetur vero utrumque hoc cibi genus summe salutare, hincque in vitiis ventriculi frigidis, inque morbis pectoris comendatur. Alterum modum, quo Libros pini arboris Lappones utuntur, his tradidit verbis Schefferus, teste Samuele Reeng: *Pinos proceras decorticare, præsertim ea parte, quæ vicina soli est, consueverunt, & interiores capere libros, inque tenuissimas membranulas chartæ instar, divisas bene purgare, hos postea exponunt soli, ut fiant aridi, tum eas in minutissimas lacerant particulas, quas conjiciunt in capsas majusculas, confectas ex corticibus arborum. Capsulas repletas, sic defodiunt in terra, sabulo opertas vel arena, atque ita die integro sinunt macerari suo calore. Deinde superne ubi capsule sunt defossæ magnum excitant ignem, per congestos caudices stipitesque arborum, ita sub terra liberi illi cocti colorem nanciscuntur rubrum, saporem vero gratissime dulcem. Hoc ipsis condimenti loco in frequenti usu est.* Forsan etiam pulmenta hinc conficiunt haud secus ac ex fructibus Chamæmori Norvagici, quorum præparandi modus idem est, nec magis discrepat quam quod hos, pauca aquæ portione addita, primum leni macerant igne, sicque cum suis vasculis terræ demandant. Acetosam vulgarem æstate collectam in aqua decoquunt ad formam pultaceam, cui deinde refrigerato lac admiscent rangiferinum atque ligneis capsulis servant: Pulmenta hinc quoties lubet, parant vel juscula sua carniū eo condiunt. Quæ alia sunt fercula peculiariora, brevitati studens jam hic omitto, addita

tan-

(g) Vid. Lapp. ejusd. Illust. Cap. XLIII. p. 218.

tum mentione potus. Potus comunis & ordinarius est aqua, quam etiam habent purissimam, fluviale nempe & fontanam, adeoque saluberrimam; tempore vero hyberno, dum gelu condensata jacent omnia, & ex hac ratione aliam habere non possunt, ex nive liquefactam hauriunt ejus loco. Ne autem ventriculus vitium inde contrahat, frustulum interdum casei eidem injiciunt aquæ sub liquatione ad ignem. Spiritus vini quamvis Lappones sint avidissimi, optime tamen eo carere possunt. Utuntur vero hoc potus genere præsertim in conviviiis suis & nuptiis, quas circa tempus nundinale potissimum celebrant, quo tum simul pocula hilaritatis pleno gutture hauriant supini. Herbæ Tabaci deniq; adeo sunt avidi, ut ejus acquirendi causa periculosissima sæpe & multorum milliarium itinera absque hæsitacione instituunt. Nec semel observavi ipse, quomodo Lappones crumenas ipsas, herbæ repositoria, dilacerantes, partem unam post alteram masticabant, usque dum saporis aliquid hujus aromatis isti inesset.

§. V.

Data jam aliquali adumbracione Situs, Loci, Temperamenti, atque vitæ generis Lapponum, ordo tandem postulat, ut propius accedamus ad consideracionem morborum, qui inter ipsos vigent. Sicuti autem sanitas consistit potissimum in motu æquali & moderato sanguinis, legitima crasi & qualitate gaudentis, ita morbus fit a sanguinis & humorum motu impedito, inæquali, aucto, atque turbata naturali mixtura, ob quantitatem excedentem non modo humorum per se utilium, sed etiam deficientem, eorundemque qualitatem quacunq; ratione depravatam. Sanitatis ergo firmatæ idæa peten-

da est ex proportione inter movens five vires motrices, quæ sunt in nervis, & inter sangvinem, & humores contentos in vasis. Ex hac enim proportione læsa, omnis exsurgit fons morborum materialis. Ad producendam autem tam Plethoram, quam Cacochymiam, non tantum multitudo ciborum major, quam corpus ferre potest, sed etiam laborum intermissio confert. Dicitur quoniam vix potest, quam sanitati fit amicus moderatus corporis motus & membrorum exercitatio. Ex hac ratione robusta corpora, in quibus validus celebratur motus, ciborum copiam bene possunt ferre, digerere, superflua ejicere citra sanitatis dispendium; imbecilla vero, quibus parum motus & vigoris inest, iisdem non sine damno utuntur; ob defectum enim digestionis & egestionis, copia feri & sangvinis impuri in venis progignitur, quorum utrumque amplius est fons morborum, tam Chronicorum, quam Acutorum. Tria ergo sunt quæ ad malam concurrunt diætam: Primo major ciborum multitudo quam corpus ferre potest; secundo laborum intermissio; & tertio ciborum multa varietas. Assertionem hanc veram esse Lapponum victus ratio satis ostendit. Nam hi robusta habent corpora, quæ non facile alterantur, ab aeris injuria. Victu etiam, quamvis gaudeant simplici, Aqua scilicet, Caseo, Lacte & Carne sub motu corporis continuo, sanitate longe præstant iis, qui delicatis variis in otio fruuntur cupediis; vividiores hi observantur in provec̃ta ætate, quam alii in juventutis fine. Nec insolens est inter ipsos videre, qui centesimum superavit annum, plerique vero septuagenarii & nonagenarii alacres adhuc permanent adeo, ut negotia sua domi forisque promte expedire possint. Morbos, qui humo-
rum

rum putrefactionem consequi solent, omnino ignorant. Febres Continentes malignæ, Petechizantes & Epidemicæ, ab aeris malignitate propullulantes, nunquam illos infestant. Nec Scorbutus, Lues venerea, Lepra aut alii ejusmodi affectus foedi ipsis adhuc innotuere; Febribus intermittentibus raro, rarius adhuc Variolis & Morbillis laborant. Recte itaque Schefferus Cap. 27. *Lappones, inquit, tametsi aspere duriterque vivant, tamen commodissima fruuntur valitudine. Morbos ignorant plerosque, nec iis quidem infestantur, qui alias totas gentes solent populari. Febres ardentes nullæ, nulla pestis inter ipsos.* Præterea quod hic de peste asserit, illud etiam mox confirmat ex testimonio Olai Petr. Niurenii Cap. 9. cujus hæc verba. *Ante aliquot annos Pestilens lues secuta est canabim in Lapplandiam, sed præter fœminas nendo eam masticantes neminem interemit; Rationem quoque sufficientem addit dicendo, Frigus enim septentrionale facile venenosum halitum dissipat.* Et sane ex eadem hac ratione cæteros quoque Borealis plagæ inhabitatores, ab hisce morbis contagiosis imunes judicandi sunt. De Ferrœensibus hoc verum esse, jam dudum notavit Thom. Bartholinus: *Pestilentia, inquit, nulla Incolas inficit, nec febris, propter ventos varios, quibus purgatur aer. De febribus observatum, quæ alibi medicamentis curari non potuerunt, huc delatas sine remediis aliis extinctas fuisse.* Conf. Act. Med. Hass. Tom. I. pag. 86.

§. VI.

Morbi vero Lapponibus familiares sunt dolores Arthritici, Rheumatici, Ischiadici, Pleuritides, Peripneumoniæ, nec non alii Catarrhosi affectus, cum vel sine febricula quadam molestantes. Originem hi ducere vi-

dentur à dissipata per aeris injurias liquidissima sanguinis portione, & inde proveniente reliquorum humorum impedita magis circulatione; Cui si accedat major fibrarum contractio à frigore externe vasis incumbente, humores in corpus retrogredi necessum est, & hinc passim stales, congestiones & spasmi oriuntur, qualis in Pleuritide, Peripneumonia & febribus catarrhalibus &c. quotidie observamus. His autem morbis Lappones esse obnoxios cordatorum virorum testimonia secutus Schefferus (h), paucis indicat verbis, *Frequentiores eorum morbi sunt Pleuritides, dolores in dorso & pectore, capitisque vertigines.* De oculorum etiam morbis idem Auctor, ex testimonio Ol. Petri Niurenii: *Morbus, inquit, frequentissimus unus est Ophthalmia & Lippitudo oculorum, unde non raro in senectute cæcitas.* Quando vero ab ignis aspectu & a fumo, quibus tuguria eorum quotidie sunt repleta originem mali deducit, eam nos non agnoscimus solam; nam si hoc verum esset, utique fœminæ, domi & in tuguriis semper versantes, præ viris, qui magis frigori se exponunt, morbo hoc frequentius laborarent, sed contrarium semper observatur. Serosos ergo hos affectus potius ex aeris injuria ejusque rigiditate nimia derivandos esse, duximus.

§. VII.

Quamquam præterea Tusses, Raucedines, Febres Catarrhales, qui morbi circa autumnale & vernale tempus non minus hic quam alibi frequentiores quoque observantur, ab humida tum & frigida simul aeris constitutione accidere videmus; inficias tamen ire non possumus, Lappones perverso suo vivendi more, dum ter-

ra

(h) Conf. Lapon, Illustr, Cap. XXVII.

ra scilicet nive obducta & vigente hyeme, nudis cursu certare solent pedibus, morbos hos & ejusmodi alios sæpius contrahere, quam solo aeris vitio. Idem etiam verum est de Pleuritide, quæ media etiam æstate invadit sæpe; licet enim excessus frigoris, nec non caloris, quem utrumque Climati Lapponum proprium demonstravi, id habeant commune, ut dissipatis liquidissimis, & inde aucto humorum attritu ad vasa, inflammatorios morbos producant, frequentiores tamen occurrunt ex alio Lapponum imprudentiæ documento, quatenus hi nempe lotione æstate delectantes, præ sudore diffluentia membra, subito aquæ frigidissimæ immergant. Quid ergo mirum si ex subitanea hac mutatione in motu humorum tam progressivo, quam intestino magnæ alterationes & anomalix oriantur, hincque excretionis negotium turbetur insigniter.

§. VIII.

Quemadmodum itaque Lappones præ multis aliis optima gaudent valetudine, nec periculosis multis laborant morbis, sic paucissimis utuntur remediis. Gens etiam cum sit Barbara, illiterata & incondita plane, certos non habet medicos, quos nationes plerumque aliæ, sed unaquæque hic mater familias, quando necessitas postulat suæ domus & familiæ est medicatrix. De medicamentis etiam non sollicitæ sunt aliis, quam quæ sibi ex regno suo vegetabili vel animali facili negotio acquirere possunt, & quorum usum medicum multorum annorum experientia comprobarunt. Verbo tota hæc ars, quæ paucissimis absolvitur, mere est empirica, & pro fundamento nihil agnoscit, præter traditionem majorum longo usu confirmatam. Inter medicamenta

ergo interna usitatissima primum locum jam mereri videtur Angelica fativa major C. B. quæ Islandica & Norvagica Dodon. & Tabernæmontano, atque scandiaca, aliis quoque dicitur. Crescit hæc ibi montanis uliginosisque locis sponte, neque cultura opus habet ulla, vid. sis Sim. Paul. Flor. Dan. pag. 164. â vulgari officinarum vix differt. Radix enim est rugosa oblonga, sed minor fativæ, saporis est svaviter amaricantis & Aromatici odorisque fragrantis. Caules qui duplici constant, substantia, medulari scil. & lignosa, quando ad justam pervenerit magnitudinem planta, cubitales vel etiam bicubitales florent ultimo Junii. Herbam hanc Lappones, quia fumopere ea delectantur etiam in cibis, suam dicunt vocabulo SAMIGIÆRD, quod significat herba Lapporum; nomine vero peculiari & proprio magis ipsam appellant POSKO. In usu apud ipsos est non radix sola, verum etiam caules, ac inprimis flores tenelli nondum explicati, sed calyce suo tanquam nodo inclusi. Quorum usus & præparandi ratio ex iis quæ jam sequuntur, patebit.

§. IX.

Primo nempe Flores teneros, in quibus totius plantæ virtus concentrata quasi latet, prima æstate, & antequam é sua vagina eruperint, colligunt, collectos statim excipiunt sero lactis rangiferino & decoqvunt, donec consistentiam extracti cujusdam spissioris nanciscatur, quod usui servant. Est quidem extractum hoc saporis subamari, non tamen ingrati, quod non semel ipse expertus testari possum. Usus vero medicus hic est. Admiserint scilicet extractum hoc larga dosi jusculis carnium recentium, quo facto, ægrotis, interditiis pro re nata aliis alimentis, mensuras aliquot hujus
ju-

jusculi medicati subinde calide hauriendas præbent; & quando jam hic copiosi subsequantur sudores, illos pro bono habent signo, unde spes recuperandi sanitatem ipsis affulgere videtur. Hæc methodus medendi consveta, est ipsis in febribus inflammatoriis Catarrhalibus, nec non aliis affectibus serosis quibuscunq; Præterea cum insigni ipsis habetur stomachicum & tonicum, fluxu quando laborant alvi cum torminibus vel ejus constipatione, extractum hoc lacti admiscet Rangiferino cocto, sicque sub forma electuarii vel pultis larga dosi assumunt. In defectu vero lactis idem faciunt cum caseo Rangiferino in aqua ad pultaceam consistentiam prius soluto atque cocto. Quoniam sanitati adeo conducere existimant extractum hoc, eadem ratio quoq; videtur, quod juscula sua carniū, in usum quotidianum parata eo sæpe, ceu salutarī condiant aromate, haud secus ac superius monui de usu fructus Chamæmori Norvagici atq; Acetosæ. An vero medicamenti loco Acetosa aliquando utantur, hoc neque propria experientia neque aliena auctoritate affirmare possum. Omne vero quod dictum est, de florum usu, idem de caulium recentium non decorticatorum intelligendum, quorum præparandi modus ex Scheffero, teste SAM. REEN sequens est; *Caulem, inquit, qui nunc incipit velle semen proferre abscindunt, eumque coqvunt cum sero lactis per diem integrum donec colorem sanguinis referat.* Confer. Cap. XVIII. pag. 222. Jam ulterius etiam de caulium usu hæc pauca subjungere juvat. Recipiunt eodem tempore, quo flores colligunt, interiorem molliorem & succulentam caulium angelicæ substantiam, quam secundum longitudinem in tenuissima dissectam filamenta aeri exsiccandam exponunt, quo facto,

Etō, ipsis vocatur FATHNO; Westrobotniensibus verō
Angelikæ-Græs item LAPP-GRÆS, quod bene distin-
 guendum est à LAPPSKO - GRÆS, quo calceis &
 chirothecis im̄isso, Lappones muniunt pedes manusq̄;
 contra frigoris inclementiam vid. sis Scheffer. Cap. 31. p.
 363. Nec hoc iterum confundendum cum planta, quæ
 dicitur calceolus Mariæ, & ob similitudinem quandam
 cum calceolo Lapponico. LAPPSKO-GRÆS. Sed ut re-
 deamus. Ex Fathno hoc Lappones iisdem in pectoris
 morbis pulmenta parant lacte, jusculis item carniū co-
 ctum, non aliter ac superius dictum est de usu Extracti
 ex caulibus vel floribus parati, im̄iscent. Neque in victu
 quotidiano hæc pulmenta omittunt, quippe quæ dulcis
 admodum sunt saporis optimeq̄; nutriunt. Mulierculæ
 vero Lapponum hoc Fathno tanquam bellariis sapidissi-
 mis maxime delectantur. Unde nulla urgente necessita-
 te illud masticatum deglutiunt. Ad itinera etiam se pa-
 rantes crumenis suis hoc prospiciunt semper; suntq̄; non
 minus illæ hujus avidæ, quam viri Tabaci, quo nun-
 quam carere possunt. Æstate si quando tussi, raucedine,
 aliisq̄; pectoris affectibus corripiantur, præsentissimum
 remedium ipsis sunt caules recentes, hos enim tum sub
 cineribus fervidis, lenissimo superinposito igne assatos,
 & postea à corticali substantia liberatos, non sine optato
 effectu comedunt. Referuntur & hi caules assati inter ipso-
 rum delicias. Radices quoq̄; colligunt justo tempore & in
 aëre exsiccatos contra catarrhosos affectus masticando &
 subinde deglutiendo usurpant, absque ullo vehiculo. Tor-
 minibus item ventriculi vel Diarrhæa laborantes, in de-
 fectu extracti hujus herbæ, radices contusas & cum ju-
 sculis carniū vel piscium coctas, addito interdum fru-
 stulo

stulo casei, hauriunt. Ad desiderium eadem Tabaci fraudendum, in defectu ejus, has radices masticant Lappones, deperdito autem sapore, iterum rejiciunt, aliumque renovant bolum. Ex dictis satis apparet, quod Lappones hujus herbæ virtutes fere omnes non minus usu sibi cognitæ habeant, quam Medici, qui uno quasi ore dicunt herbam hanc esse alexipharmacam, resolventem, aperientem, attenuantem & sudorificam. Circa usum etiam non multum errant, nisi forsan in eo, quod medici Cordatiores dicant eam minus esse tutam, ubi insigniores adsunt motus febriles: humores enim exagitando calorem auget.

§. X.

Alterum Anticatarrhale & cephalicum simul est muscus quidam s. species Lichenis, de cujus usu sic accepi à fratre meo. Nascitur hic muscus quidam, quem, Lappones in lacte coctum usurpant non solum in victu, quotidiano, verum etiam in morbis pectoris Capitisque, dolore. Muscus certe hic idem est, quæ Schefferus describit: Cap. 27. *In omnibus, inquit, morbis internis usurpant radicem musci alicujus, quam ipsi vocant Feth, vel in defectu ejus, Caulem Angelicæ.* Confirmatur adhuc magis nostra sententia ex alio ejusdem auctoris testimonio ubi de Muscis in Lapponia: *Oblatus est nobis quintus (muscus) foliis latioribus longioribusque, quem Lappones Fathna vocare putantur, contra animi deliquium conducens, si jusculis bibatur contusus* (i) Cum vero Auctor ipse existimet, hunc non pertinere ad muscos, sed potius esse tenuiter sectæ Angelicæ particulas, observandum est, eum hæsitasse circa vocabulum FATHNA, quod proprie significat caulem angelicæ exsiccatum, male autem a re-

C

latore

(i) Vid. Cap. XXXI. Lappon. Illustrat.

latore musco huius indito. Ablato enim hoc scrupulo res clara evadit. Sed objiciat adhuc quis, muscum hunc non eundem esse cum superiori Lapponum JERTH, quem Schefferus non muscum, sed radicem Musci vocat; at respondemus, facili negotio hoc conciliari posse, si modo attendamus Auctorem hic quoque commississe errorem mali narrati: quis enim rei Botanices paululum peritus nescit, Lichenes seu muscos radicibus proprie sic dictis destitui, fibrillasque tantum tenuissimas habere, per quas a terra succum accipiant nutritium. Hisce ergo conciliatis, locus tandem natalis & virtutes datæ aperte ostendunt, quod Lapponum JERTH esse eundem muscum, quem inter innumera fere alia exotica, pariter ac indigena rariora ex omni mundi angulo curiose conquisita, in Herbario suo vivo ex Norlandia allatum servat Celeber. Vir naturæque sagacissimus Mystra, Archiater Regius & Profess. D. D. Kil. STOBÆUS. Hunc enim mihi, pro summo, quo me semper profecutus est favore, communicavit sub titulo Lichenis S. Musci Islandici esculenti & pulmonaris; & quidem cum hac definitione. *Muscus est latifolius membranaceus & ramosus, foliis Lactucæ crispæ quodam modo similis, semine & flore carens. Invenitur in Islandia, Lapponia, nec non reliquis regionibus septentrionalibus. Virtutes pariter ejus enumerantur his verbis: Quoniam optime nutrit, tabe confectis commendatur, populi etiam septentrionales non tantum panes inde coquunt, verum etiam pulmenta cum lacte conficiunt. Nec alium credimus Muscum Catharticum Islandorum, de quo Thom. Barthol. in Act. Med. Hafn. Tom. I. p. 126. Fert Islandia, inquit, muscum, nulli hæcenus Botanicorum cognitum, quo Insulae Coloni primo vere utuntur ad expurgandos*

dos humores corporis noxios, reliquo vero æstatis siccatum in farinam comminuunt & pulmentariis admiscent, exspirante demum vi purgatrice & succedente alimentaria. Ex manuscripto quodam gratiosissime mihi Carolin. Nostræ Rect. Magnif. Maxime Reverend. S. S. Theol. Doct. Henr. Benzelius comunicavit modum, quo Norlandi pulmenta ex hoc conficiunt, qui talis est: Muscum a sordibus bene purgatum injicias aquæ calidæ, quam post unam alteramve ebullitionem iterum decantes & abjicias, superinfusa deinde frigida cum aliquoties laves, quo factò, muscum minutissime concisum in lacte per horulæ quadrantem decoquas, addito sub fine parum salis, si placet parum quoque Cinnamomi. Curiose & circumspecte non adeo Lappones sua inde parant pulmenta, negligunt enim hi præviam lotionem, interdum etiam sal, multo magis aroma istud, cujus nulla ipsis cognitio. Cibarium vero hoc dulcis quidem & grati saporis est, optimeq; nutrit; verum cum multis constet particulis pingvibus & oleosis, diu comestum tædium aliquando parit. Num Lapponibus cognita sit vis illa purgandi, qua recens hic muscus gaudet prima æstate, certo affirmare non audeo, verosimile quidem videtur.

§. XI.

Inter medicamenta pectoralia apud Lappones etiam invenit Resina abietis, qua hac ratione utuntur: Hanc æstate, quando liquida exsudat ex arboribus, colligunt; Urgente deinde necessitate, comiscant cum pingvedine ista, quæ olei similis ex caseo rangiferino tosto exprimitur, sicque eam in Asthmate, Tussi & Raucedine calide hauriunt, adjuncto pro vehiculo carniū jusculo; externe vero idem hoc remedium adhibent contra per-

niones & ad tumores duros emolliendos & resolvendos, idque cum successu optato. In vulneribus sordidis non minus quam recentibus eandem hanc resinam subactam cum sevo rangiferino emplastri vel unguenti loco applicant. Schefferus itaq; hujus remedii compositionem nesciens: *Vulnera, inquit, non alio curant unguento, quam resina ex arboribus exsudante.* Item ex relatione Plantini. *Resinam emplastri loco adhibent, quando ictu vulnerantur.* Globulos pariter vel pilulas pisi majoris magnitudine inde formant, quorum duos, tres, aut plures successive devorant dysuria vel stranguria laborantes. Verisimile videtur usum hujus resinæ didicisse Lappones à vicinis Norvegis: nam idem fere de ipsis commemorat Thom. Bartholinus in Act. Med. Hass. Tom. I. p. 41. *In Norvegia, inquit, picem liquidam ex abiete Incolæ propinant cum cerevisia in febribus malignis magno cum successu. In vulneribus sordidis periculosissimis pulvere istius ligni & musco quoq; utuntur.* Resinæ iterū Pini arboris quamquā non adeo frequēs est usus in Medicina, mulierculæ tamen Laponum ob gratum, quem inde percipiunt saporem, masti-cando ea maxime delectantur. Id autem comodi eas hinc habere credimus, quod resina hæc balsamica sua virtute foetorem oris & gingivarum laxitatem præcaveat, quin imo dentes a carie conservet, reddatq; albissimos. Et forsan hæc ratio est quare mulierculæ hæc raro laborent odontalgia. Quicquid sit, nos tamen satis mirari non possumus, qua ratione barbara hæc & illiterata plane gens exhaurire potuerit virtutes balsamicas, discutientes, & resolventes, quæ comuni medicorum consensu ejusmodi arborum resinis tribuuntur. §. XII.

(k) Lapp. Illustr. Cap. XXVII. pag. 310.

U nicum adhuc adducam exemplum medicamento in-
 terni ex regno vegetabili desumpti, cujus mentionem
 facit Frater meus his verbis. Crescit hic in Lapponia,,
 quibusdam in locis arbor quædam foliis frangulæ quo-,,
 dammodo similis. Baccas habet subnigras, quæ interne,,
 assumpta ingentem adeo exitant calorem, ut quo se vertat,,
 patiens nesciat. Virtutes harum in eo consistunt impri-,,
 mis, quod ranas, quæ casu in homines irreperunt, e-,,
 necare valeant; duos homines hoc malo laborantes bac-,,
 carum ope restitutos pro certo dicunt. Quamquam ex,,
 descriptione quæ satis est manca, æquum non adeo vi-
 detur concludere, quænam hæc sit arbor; tamen ex bac-
 carum definitione, earumq; effectu facile apparere exi-
 stimo, arborem vel fruticem hanc esse Thymilæam C. B.
 seu Laureolam fœminam officinarum. Nam crescit hæc
 non tantum in hortis culta, sed etiam in montibus & col-
 libus silvosis foliis lauri deciduis. Baccas quoq; profert
 rotundas pipere majores, unde etiam piper audit ger-
 manicum; primo quidem baccæ hujus arboris rubescunt,
 mox vero per maturitatem ad nigredinem accedunt. Pro-
 stant etiam hæc in officinis nostris venales vocanturque
 Grana Cocci gnidii vel. Mezerei. Svet. Kellor Hals. item
 Kellor Hals Bår: & sub eo nomine rusticis quoq; nostris
 notissima, qui tribus interdum granis deglutitis febrem
 intermittentem vel hydropem non sine vitæ discrimine
 curare conantur. Ex hac itaq; Plebejorum consuetudine,
 qui vel heroica semper quærunt remedia, vel etiam con-
 traria contrariis curare student, crederem Lappones æq;
 ac nostras agricolas hisce uti baccis non tantum iisdem
 in morbis, sed etiam in malo Melancholico & hysterico,

quando simul perversa illa phantasia luſtantes credunt, ſe ranas vel alia animalcula viva intra corpus fovere; quorum exemplis praxis noſtra clinica quotidie fere augetur. Jam obſervamus ergo fabuloſam illam traditionem de animalculorum irreptione in homines penes omnes nationes & populos fide eſſe receptam. Quod autem in vulgus non adeo eſt mirandum, cum dentur medici ipſi, qui, nescio quibus argumentis innixi, fabulam pro vero ſibi & aliis obtrudere ſatagunt.

§. XIII.

Qualitates illas emollientes, diſcutientes & reſolventes, quæ comunitè omni caſeo ex cujuſcunq; animalis lacte parato tribuitur, quando externe applicatur, Lappones quoq; in ſuo rangiferino deprehenderunt; quod teſtatur uſus ejus medicus frequentiffimus. Nam primo oleo iſto, quod ex caſeo exprimitur aſſato, contra tumores quosvis externe utuntur, hincq; præſentiſſimum remedium contra perniones, de quo Schefferus (1): *Quando membra, inquit, frigore adurantur, medicinam ipſis præſentiſſimam exhibet caſeus rangiferinus, cui ferrum candefactum intrudunt, & quod mox, educto illo, exſtillat veluti olei, illud illinunt leſo membro ſucceſſu & virtute incredibile. Idem hoc comprobatur teſtimonio Olai Petri, Cujus hæc verba. Si aliquando membrum frigore lædi contigerit; Caſeus ille inſtar laminæ ſeu folii calefactus & applicatus medetur optime.* Pari modo hunc caſeum aſſatum ad tumores duros reſolvendos manibus applicant lactantium non ſine euphoria. Externe quoq; imponunt pectoribus infantum, non aliter ac mulierculæ noſtræ faciunt cum ſevo hircino, quando parvuli tuſſi corripuntur gravi. In eodem hoc pectoris affectu caſeum iterum

(1) Vid. Lapon. Illuſtr. Cap. XXVII. pag. 310.

rum cum lacte rangiferino coctum sub forma pultis vel pulmenti, non sine optato effectu tam infantibus, quam adultioribus præbent. Testimonio Schefferi hoc probatur ulterius ubi sic; *Idem caseus, inquit, lacte coctus, tussim levat & quæ alia pulmonum pectorisve vitia ex frigore oriuntur.* Præterea calefacientem in caseo deprehendentes virtutem, stomacho eum valde prodesse crediderunt; hinc sæpe juscula sua carniùm, quæ ipsis vocantur **LEBMA** caseo hoc condiunt, non tantum, quo gratiora inde reddantur, sed ut hoc pacto simul frigida ventriculi vitia corrigantur. Ex eadem hac ratione, qui ditiores sunt inter ipsos, frustulum casei decoquunt in aqua, quæ pro potu ordinario haurienda est, quod in primis faciunt hyeme cum aqua nivali, uti supra dictum est. Hunc potus parandi modum certe fama accepisse videtur Olaus Petri ubi hæc: *Stomachum, ne perdatur continuo aquæ potu caseus ille præservat.* Comprobant ergo Lappones ea, quæ in encomium casei Schola loquitur Salenitana:

Ignari medici me dicunt esse nocivum,

Sed tamen ignorant, cur nocumenta feram,

Experto reor esse ratum, qua commoditate,

Langventi Stomacho caseus addat opem.

Est autem Caseus hic rangiferinus grati saporis, quo etiam maxime accedit ad eum, quem nostræ mulierculæ conficiunt ex lacte ovili, pingvior tamen isto, unde paulo diutius assatus fere in oleum abit, quod à frigore non condensatur magis, quam oleum olivarum.

§. XVI.

Fel urfi cum nostrorum & reliquorum populorum septentrionalium sit quasi Theriaca & Panacea, de usu e- quidem ejus singulare quid notandum non occurrit: ut un-
tur

tur enim hoc Lappones interne contra omnes morbos promiscue, in primis vero quando torminibus & colica flatulenta vexantur, ubi methodus adhibendi est vel cum jusculis carniū vel cum spiritu frumenti solutum. An etiam felle hoc externe utantur in ulceribus sordidis abstergendis, illud ut minus cognitum intactum relinquo. Satis vero ipsis cognita est facultas illa calefaciendi, roborandi, resolvendi, emolliendi & discutiendi, quæ communiter pingvedini adscribitur ursi. Nam utuntur hac unguenti loco in doloribus Arthriticis, Ischiadicis, nephriticis, ipsaq; adeo paralyfi & aridura. Hujus rei fidem his verbis facit Frater meus: Contra dolores quosvis „externarum partium, sive sint Brachiorum, sive lumbo-
 „rum, dorsi vel crurum, cum aliqua nervorum tensione
 „inungunt se Lappones pingvedine ursi vel castoris. Medicamentum hoc locum habere in allatis morbis quis negare potest: constant enim pingvedines horum animalium, præter oleosas particulas, ex sale volatili copioso adeoq; penetrantissimæ sunt virtutis, præsertim ad roborandos nervos in paralyfi, unde etiam non pauca ingrediuntur unguenta nervina. Usū Castorei internum & externum fere negligunt Lappones ipsi; qua ratione hoc fiat nescio, vix equidem credo ex ignorantia virtutis, potius vero ex desiderio lucri, quod vendito illo se capturos sperant. Magis autem notatu dignum videtur remedium ex cauda castoris paratum; de quo amicus quidam oculus equidem testis hæc, quæ sequuntur narrabat: Sumunt „Lappones caudam castoris, hanc per quam adiposam, in
 „minutissimas dissecant partes, inq; sartagine lento calore
 „frigunt, haud aliter ac in olei ovorum præparatione fieri
 „solet, quod hic jam redit olei, id, exprimunt fortiter &
 cochle-

cochleatim hauriunt vel per se vel cum spiritu frumen-
ti, interdum etiam cum jusculis carniū. Fertur,
hoc præsentissimum esse remedium ad promovendam
suppurationem & eruptionem abscessus, angina si quan-
do laborent.

§. XV.

De remediis tandem ophthalmicis hoc tenendum;
quod in omnibus oculorum morbis unguenti loco
Lappones adhibeant Fel cygni, aquilæ, aut lupi; habe-
tur etiam hoc ipsis remedium probatissimum, quemad-
modum illud accepi à Fratre meo. Quamquam vero
rationem reddere non possumus, quare Lappones ho-
rum animalium fella præprimis feligant, nihilominus
notitiam suam medicam in hoc quoque morborum ge-
nere non inepte prorsus produnt, quod etiam eo magis
est mirandum, quoniam in hoc conveniunt cum me-
dicis nonnullis, qui non tantum pro scopo abstergente
in ulceribus sordidis, sed præcipue etiam in oculorum
affectibus commendant fella animalium. Etenim dan-
tur passim apud medicos formulæ remediorum ophthal-
micorum ex fellibus animalium paratorum. Sic ver. gr.
Valent. Kræuterman, præmissis præmittendis, in leu-
comate vel albugine sequentem commendat formulam.
Rf. Aq. fœnicul. Unc. iii. Fell. Angvill. inspissati drach.
un. & S. Sacch. Canth. drach. i. M. F. Collyrium D. Sr.
Man tünctet eine seder ein, und rühret damit die albugi-
nem des Tages zwey mahl. Ulterius Aqua fellis destillata
locum invenit non tantum in hebetudine auditus, sed
etiam in ungue, nebula, & oculorum cicatricibus
delendis, quæ etiam visum acutiorem reddere perhibe-
tur. Essentia iterum fellis bovini inspissati cum sp. vin.

D

para-

parata, præter usum cosmeticum ad poliendam cutim, lentigines & maculas hepaticas tollendas, propter alcali volatile egregiæ habetur virtutis in oculorum morbis, ubi nimia peccat ferofitas. Sed in genere vero de medicamento ex animalium felle confectis notandum est, quod, quicquid de illis prædicant nonnulli, cum grano salis in praxi accipiendum sit; nam medicamentum cum valde sit acre largam manu adhibitum ferofos affectus si non in inflammatorios transmutet, tamen dolores exacerbare potest, quemadmodum practici observarunt celebriores. Solent etiam Lappones hos ferofos oculorum morbos hac ratione curare; sumunt nempe lapidem selenitidem, quem, facta leni calcinatione, in pulverem redigunt subtilissimum, humoresque exforbendi gratia oculis aspergunt non sine optato effectu.

§. XVI.

Absoluta sic historia medicamentorum, quibus Lappones interne vel externe utuntur; pauca tandem addere lubet de operationibus eorundem chirurgicis. Inter operationes chirurgicas, quarum nos aliquam habere potuimus cognitionem notissima est illa, quæ inurendo instituitur per ipsorum DVÆJLET; attentione autem eo magis digna viderur hæc operatio, quoniam qua usum & encheiresin adeo convenit cum Ægyptiorum Gossypio ignito & Sinensium moxa (cujus applicationem Moxiburium vocat BOECHLER, Cynos. Med. Tom. II. pag. m. 584.) ut vix ullo modo differre videatur, unde etiam pene diceret aliquis, nostros artem hanc ab his didicisse. Methodus jam hæc medendi, ut clara percipiatur magis, operæ forsan pretium erit hic rursus inferre omnia momenta, quæ huc faciunt. Primum
itaque

itaque quod Lapponum refert DVÆULET, illud est fomes, Svet. Sunder, substantia fungo igniario durior, friabilis, coloris ex flavo rubescentis, ad ignem concipiendum aptissimus. Desumitur hic ex Agarico Betulino, qui pedis equini figuram utcunque referens truncis harum arborum adnascitur, in primis ex ea parte, quæ meridiem spectat, quia melioris habetur virtutis in medicina. Volentes jam inurere aliquam partem corporis ex fomite hoc conum sibi formant, cujus longitudo solet esse semi uncialis, latitudo vero baseos trium linearum vel paulo ultra. Fastigio hujus admota scintilla loco imponunt amburendo, quo facto brevi mora depascitur; Cremato jam hoc ejusdem magnitudinis alterum eodem in loco instaurant, comburique permittunt; post hunc subinde etiam tertium, donec satis factum judicaverit aut is, qui inustionem patitur, aut qui eam dirigit. Nonnulli unicum tantum in quavis operatione applicant conum, qui tum in sua proportione est major, sed methodum hanc rejiciunt plurimi, quia fonticulus suscitatus fit justo major, hincque subsequens exulceratio molesta magis: Sub ipsa inustione partes circumjacentes undique comprimunt (haud secus quam Ægyptiorum (n) Pyrosophisræ) annulo ferreo forcipis vel clavis cujusdam, hocque faciunt eum in finem, ne dolor ex igne sentiatnr valde, ne conus accensus de loco dimoveatur suo, neve calor ignis vi sua expansoria in superficiem & peripheriam late magis, quam in ipsam carnosam substantiam, quod desiderant, agat profunde. Ajunt etiam se in antecessum & sub ipso ustionis

D 2

actu

(n) Vid. Prosp. Alpin. de Medic. Ægypt. L. 3. C. 12.

actu prædicere posse, an operatio hæc in ægrotantis levamen succedat, nec ne. Bonæ prognoseos signa sunt sequentia. Imo Si fungus ignitus superficiem cutis tangens, emissis scintillis, de loco suo defilire conetur. 2:do Si cineres combusti albescant. 3:tio Si locus ustus intumescat cum rubedine, carneque depasta, mox subsequatur exulceratio cum materia serosa & purulenta. Contrarii vero eventus signa sunt; Quando dictus conus persistens in suo loco, sine strepitu ullo deflagret, cineresque ad nigredinem magis accedant. Imo quod magis est; quando cauterium hoc actuale vim suam causticam perdidisse videatur, quod carnem fere in tactam relinquendo, cutim saltem in superficie corrugeret, aut in crustam duram elevet absque supuratione ulla. Operatio hæc ipsis vocatur DUÆULI hoc est (ut ita dicā fungiburium) Item BOLDI-DUÆULI, PÆJA-DUÆULI, quod significat, inustionem pati, vel instituere cum fungo tali ignito.

§. XVII.

SI jam quæris, quibus in morbis locum habeat ustio, respondetur, in omnibus promiscue, in quibus in certo loco humores detenti dolores & actionis læsionem pariant, quo pacto pene omnes morbos, quos unquam Sineses aut Ægyptii ustione curare conantur, Lappones etiam per suum DVÆULET tentant. Laborantes enim Arthritide, Malo Ichiadico, Lumbagine, Rheumatismo, cephalalgia, odontalgia &c. irritis aliis remediis, ad ustionem quasi certissimum confugere videntur. Nec aliud certe indicare videntur verba „fratris Mei, „quando sic: Cura per in ustionem Lapponibus res est
notissi-

notissima & frequentissimi usus contra quosvis dolores, sive sint capitis, sive dorsi, sive brachiorum, Lumbo-
rum, Crurum, pedum &c. vel ubicunque demum do-
lores & crutiatus in exterioribus partibus sentiantur,
Locum etiam certum non minus quam Ægyptiorum
& Sinensium Pyrosophistæ in singulis morbis hi obser-
vant, quod patet ex dictis Schefferi, quando eandem
hanc medendi methodum his verbis delineavit: *Si quos
sentiunt dolores in membris, loco affecto imponunt fomi-
tem ignitum, ut ulcus extrahat humores vitiosos & sic
mitigetur dolor.* - Clarius adhuc præeunte Plantino,
paucis totam sistit operationem: *vulgare hoc apud ipsos,
inquit, remedium quod capiant fomitem, sive fungum ar-
boribus betulinis placentæ instar adhærentem, eumque ac-
censum igne imponunt eo loco ubi sentiunt dolorem atque
cruciatus, quem si recte tetigerunt, ultro deinde fungus igni-
tus resilit, dolorque tollitur per exulcerationem subsequen-
tem.* Si ergo locus variari debeat pro morborum di-
versitate & dolorum sensatione, utique nulla pars fere
corporis ab inustione est libera. Hinc etiam est, quod
ego in Lapponia cum essem, memini me vidisse plurimum
incolarum faciem igneis cicatricibus fædatam, curam
quoque aliquoties in brachiis, scapulis & cruribus in-
stitutam vidi, quamvis tum temporis puer exacte ha-
bere non potui cognitionem morborum. Nec sane Ex-
teris plane ignota videtur hujus Cauterii Lapponibus
usitati applicatio; Certe Celeb. Artis nostræ Magister
D. G. E. Stahl (m) curam hanc innuere voluit, quando
de fungo Pyrophoro sic: *So weit hat sich der vorwitz
der Menschen erstreckt, das Sie auch zu Vinderung der
Schmerzen*

(m) vid. Ant. Mater Med. part. secund. p. 180.

Schmerzen den äußerlichen ansehen nach ganz ungerichte dinge erwehlet. Hier von zeuget unter anderen der gebrauch Moxæ; An deren stelle aber füglich ein Stückgen zunder Schwam genommen, der Schmerzhaftes Theil da mit gebrennet, und also Schmerzen mit schmerz vertriebet werden kan. Quid ex hac cura solatii, ipsi jam videant, credo equidem eos per dolorificam & crudelem operationem nihil efficere magis, quam ut dolores, hoc pacto paululum sedatos in futurum cum fœnore & duplici invitent accessu.

§. XVIII.

An præservative, an vero curative venæsectionem instituant Lappones, incertum est, prius quidem affirmarem ex dictis fratris mei ubi sic: Venam sibi secare permittunt Lappones Chirurgo, qui fere semel quovis anno eam ob causam in Lapponiam proficiscitur. Quando vero chirurgus non adfuerit, venæsectionem sibi invicem instituunt ipsi, ubi loco lanceolæ utuntur cultello acutioris cuspidis vel acu quadam, quæ ipsis vocatur *Ajme*, cuspide trigona.

Modum applicandi cucurbitulas eundem fere retinent Lappones cum accolis suis bothnicis, qui talis est: Sumunt cornu quoddam bovinum duplici præditum orificio latiori scil. & angustiori; basin hujus imponunt loco scarificando; angustius autem foramen ore excipientes aerem suctione attrahunt, quousque cucurbitula corpori adhæreat firmiter, quo factò, orificium hoc artificiosè claudunt vel digito, vel vesica madefacta, quam etiam sub ipsa aeris attractione orificio ope linguæ aptant; elevatam jam hinc cutim cuspide fauciant cultelli, moxque iterum super inposito cornu, sugendo sanguinem

ite-

iteratis vicibus, eliciunt. Est etiam methodus hæc adeo
 conveniens cum ea, quam *Prosper Alpinus*, Lib. II,
 Cap. 13. apud Ægyptios usitatam tradit ut vix differat,
 qua modum applicandi. Nec tandem silentio præteri-
 re potui singularem illam operationem Chirurgicam,
 quæ Lapponibus inter arcana quasi habetur, quamque
 instituunt laborantes tussi ferina, asthmate humido, aut
 reliquis oppletionibus pectoris gravioribus. Tota hæc
 ars in eo consistit, quod in his affectibus, aliis frustra
 adhibitis, extremitatem tandem uvulæ forcipe sauciant
 ad copiosam usque sanguinis profusionem. Hoc autem
 arcanum nos ipsis relinquimus lubentes. Et hæc jam
 sunt ea quæ in compendio de medicina Lapponum
 tradere volui. Coetera enim minus adhuc co-
 gnita in futurum differre cogor.





